



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

# **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Cap. IV. De Virtutibus Justitiæ annexis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**



cum bonum animarum id postulet. Cum regularibus verò Superior localis: quia in suos potestatem habet quasi Episcopalem. Confessarii autem, sicut & Medici possunt solum declarare obligationem ieiunandi non esse, ubi id constat, & causam dispensandi sufficientem esse, vel non esse: qui graviter peccabunt, si imprudenter, & nimiam facilitate declarent. *De consilio rationabili Medici infirmus solvens jejunium, vel comedens carnes diebus prohibitis non peccat: sed peccaret Medicus, si sine causa rationabili, vel saltem dubia talia mandat, vel ordinat infirmis:* ait S. Antonin. loco cit.

## CAPUT IV.

### *De Virtutibus Justitiæ annexis.*

**N**am de Justitiæ erit Tractatus specialis. S. Thom vocat Virtutes Justitiæ annexas, alii verò Justitiæ species imperfectas, quæ versantur circa aliquod debitum ad alterum, sed quod non est tam rigorosum, quam debitum Justitiæ, vel quod adeò magnum est, ut nequeat reddi ad æqualitatem: tales sunt Religio, Pœnitentia, Pietas, Observantia, Obedientia, Gratitude, Affabilitas, Liberalitas, & Veritas in dicendo. De Religione fusè dictum est, de Pœnitentia suo loco; nunc de aliis.

I. Pietas sumpta pro speciali virtute, est virtus per quam tribuitur debitus cultus tum parentibus.



rentibus tanquam vitæ, & educationis post Deum authoribus: tum patriæ, quia patria aliquo modo est principium ortûs, eò quòd parentes foveat, & idonea ad ortum, & educationem suppeditet: tum etiam aliis consanguineis ob coniunctionem, quam habent cum parentibus. Consistit hic cultus tum in honore parentibus suo tempore, & loco deferendo, tum in obsequiis & necessariis vitæ subsidiis præstandis, ex S. August. l. 83. quæst. q. 31.

2. Observantia est virtus, per quam defertur cultus, hoc est, honor, & obsequium Superioribus, ob eminentiam coniunctam cum beneficio gubernationis; atque etiam aliis personis virtute, sapientiâ, aut dignitate conspicuis, quatenus ratione talis perfectionis idonei sunt ad nos gubernandum, seu dirigendum, saltem exemplo suo, vel consilio. Duplex est, nempe politica, qua ob dignitatem politicam, vel excellentiam humanam; & religiosa, qua ob dignitatem, vel perfectionem supernaturalem cultus defertur.

3. Obedientia duplex est, alia est virtus generalis, inclinans ad observandum quodvis præceptum ex quovis motivo bono: & sic obedire pertinet ad quamlibet virtutem, ex cuius motivo mandatum servatur. Ei opponitur inobedientia generalis, quæ est vitium generale, consistens in cuiusvis præcepti violatione, ex quovis motivo; ideóque est peccatum



catum mortale in re gravi, veniale in levi, & includitur in omni peccato tanquam ratio generica.

Alia est virtus specialis inclinans subditum ad exequenda præcepta Superiorum, quia præcepta sunt. Ei opponitur inobedientia formalis, quæ est violatio præcepti, quia præceptum est: unde semper mortalis est, etiam in re levi: quia est contemptus præcepti, ac potestatis præcipiendi; nam nolle obedire præcepto eo quod præceptum fit, est illud contemnere, & simul potestatem, unde manat.

Porro obedientia minùs strictè sumpta est virtus, qua quis voluntati Superioris se accommodat, sive præcipiat, sive non.

4. Gratitude est virtus inclinans ad compensandum beneficium acceptum, quantum, & ubi recta ratio postulat. Eius officia sunt beneficii æstimatio, benigna acceptatio, gratiarum actio, grata commemoratio, & repensio beneficii pro loco, & tempore. Ei opponitur Ingratitude, quæ est peccatum, cum disconveniat naturæ rationali ut rationali, & opponatur virtuti; *ex hoc enim aliquid dicitur esse peccatum, quod virtuti contrariatur.* Ait S. Thom. 2. 2. q. 148. a. 1.

5. Affabilitas est virtus, quæ totam conversationem nostram cum proximo, consistentem in colloquiis, convictu, & actionibus, quibus cum illo tractamus, ita moderatur, ut  
ei gra-



ei grata sit, servata tamen decoris ratione: efficitque, ne nimis blandè, neque nimis asperè in congressibus nos geramus. Ei opponuntur per excessum blanditiæ, & adulatio; per defectum morositas, quâ proximo molestia, & tedium in congressibus affertur.

6. Liberalitas est virtus, quæ moderatur a-morem divitiarum, & reddit nos faciles, & promptos ad eas impendendas, quantum, & quando recta ratio dicitur. Unde ejus officium est 1. Moderari affectum divitiarum secundum rectam rationem. 2. Est largitio, & modus debitus in ea servandus. Ei opponitur per defectum avaritia: per excessum prodigalitas, quæ consistit in defectu conservandi, & excessu erogandi: quamvis hæc sit sæpe venialis, quatenus cum sola liberalitate pugnat: est tamen mortalis culpa, cum quis inde se reddit impotentem ad solvenda debita, ad sustentandam convenienter familiam, ad Eleemosynas erogandas; &c. vel ratione finis, periculi, scandali, &c.

7. Veritas in dicendo, seu veracitas est virtus, qua inclinamur ad semper loquendum conformiter menti nostræ: unde facit ut rectè utamur signis ordinatis ad mentem alteri patefaciendam. Ei opponitur mendacium: circa quod



Q. 1. *An omne mendacium est intrinsecè malum?*

Resp. Aff. Ita omnes, & Aristot. ipse l. 4. Et hic c. 7. dicit mendacium per se esse malum, & vituperabile. Prob. quia in se continet inordinationem, nam pervertit naturalem institutionem, & finem locutionis ad hoc entibus intellectivis concessæ, ut possint inter se communicare sensus suos: ac proinde per se evertit communicationem cum hominibus, & commercium vitæ socialis: estque deceptivum proximi. Ideo omne mendacium in Scriptura prohibetur. *Noli velle mentiri omne mendacium.* Eccli 7. *Verbum mendax justus detestabitur.* Prov. 13. *Nolite mentiri invicem.* Col. 3. *Deponentes mendacium, loquimini veritatem.* Eph. 4. unde Alex III. c. 4. *de usur.* ait quod *Scriptura Sacra prohibeat pro alterius vita mentiri.* Mendacium tamen, quod nec proximum, nec honorem Dei graviter lædit, nec scandalum parit, nec est contra bonos mores, veniale est, quale est merè jocosum, vel officiosum, ut docet S. August. in Psal. 5. Nam tunc ejus inordinatio non censetur gravis. At mendacium perniciosum, quod graviter lædit bonum proximi, vel honorem Dei, aut grave scandalum parit, est mortale: quia graviter repugnat charitati Dei, vel proximi, vel etiam justitiæ, aut religioni; tale est omne mendacium contra fidem religionem, vel bonos mores, in judicio, testimoniis, juramentis,

con;



contractibus, detractioe gravi; &c. *os quod mentitur, occidit animam.* Sap. 1. *perdes omnes: qui loquuntur mendacium.* Pfal. 5.

Idem dic de simulatione, nam est verè, & propriè mendacium in facto, mendacium enim est locutio contra mentem. Per locutionem autem intelligitur actuum internorum significatio per quævis signa mentis significativa, sive sint verba, sive facta, gestus, nutus, sive scriptura. Nam (ut ait S. August. lib. de mendac. c. 3.) *Ille mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud verbis, vel quibuslibet significationibus enuntiat.* Et Thom. 2, 2. q. III. a. 1. ait: *ad virtutem veritatis pertinet, ut quis talem se exhibeat exterius per signa exteriora, qualis est. Signa autem exteriora non solum sunt verba, sed etiam facta. Sicut ergo veritati opponitur, quod aliquis per verba exteriora aliud significet, quam quod habet apud se, quod ad mendacium pertinet: Ita etiam opponitur veritati, quod aliquis per aliqua signa factorum, vel rerum aliquid significet contrarium ejus, quod in eo est: quod propriè simulatio dicitur. Unde simulatio propriè est mendacium quoddam in exteriorum signis factorum consistens. Non refert autem utrum aliquis mentiatur verbo, vel quocumque alio facto. Unde cum omne mendacium sit peccatum, consequens est etiam, quod omnis simulatio est peccatum. Sed q. 110. a. 3. ad 4. ait: licet tamen veritatem occultare prudenter sub aliqua dissimulatione, ut August. dicit in lib. contra Mendac. aliud est enim verum celare, & aliud falsum significare.*



Q. 2. *An aliquando licet uti æquivocatione, vel restrictione mentali?*

Not. Æquivocatio hîc est vox, seu propositio varios habens sensus; quam proferens prævidet ab audiente accipiendam in alio sensu, quàm ipse intelligit. Duplex est; alia determinabilis exterius, & latè dicta, cujus scilicet sensus verus à proferente intellectus potest per se cognosci ex circumstantiis, aut indiciiis exterioribus: alia non determinabilis, & strictè dicta, cujus sensus à loquente intellectus non potest ullatenus deprehendi.

Restrictio mentalis est propositio, cujus verba exterius prolata falsum sensum, & contrarium menti loquentis exprimunt, si præcisè secundum se spectentur; sed conjuncta cum iis, quæ mente retinentur, faciunt sensum verum. Duplex est; una purè mentalis, & strictè dicta, cujus sensus à loquente intellectus non potest ex circumstantiis, aut indiciiis exterioribus deprehendi: ut si quærenti, an videris Petrum respondeas: *non vidisse* subintelligendo *in foro*, cum tamen videris domitux. Nam ex nullis circumstantiis colligi potest, te interrogari de visione in foro, aut de illa respondere. Altera non purè mentalis, cum verba exterius prolata adjunctas habent circumstantias externas, quibus ea, quæ mente retinentur, per se facile cognosci possunt: ita ut circumstantiæ ex usu apud prudentes recepto consignent, & verum sensum restrictionis



tionis sufficienter indicent; inter quas recensentur status Confessarii, Legati, Secretarii, obligatio secreti, &c.

*Resp. I.* Nunquam licet uti æquivocatione non determinabili exterius, nec restrictione purè mentali. Quia 1. sunt per se deceptivæ proximi, & contra naturalem institutionem, ac finem locutionis, & signorum ordinatorum ad exprimendos conceptus mentis. Ideoque sunt per se malæ, & inordinatæ. 2. Earum usus est perniciosus Reip. & societati humanæ; nam si licitus esset, tolleretur sermonum certitudo, nemo enim unquam certus esset de fide, & mente alterius, omnibusque dolis pateret aditus: & sic everteretur auctoritas testimonii humani, & fides humana, ideoque & commercium inter homines corrueret. 3. Sunt mendacium, & si juretur, fiet perjurium. Nam locutio totaliter sumpta est contra mentem, cum neque ex se, neque ex circumstantiis externis habeat vim significandi totam propositionem internam, aut partem illam in mente subintellectam; sed id solum significet, quod verba in suo sensu obvio præ se ferunt, quod quidem est contra mentem. Enimverò, ut ait de Lugo, veritas propositionis vocalis consistit in ejusdem propositionis secundum significationem externam vocibus impositam, conformitate cum mente loquentis. Deinde voces datæ sunt homini à natura ipsa, ut suos conceptus patefaciat, & ut iis non  
utatur



utatur nisi juxta significationem semel impo-  
 sitam. *Verba* (inquit S. August. Enchir. 22.)  
*Propterea sunt instituta, non per quæ se invicem*  
*homines fallant; sed per quæ in alterius quisque*  
*notitiam cogitationes suas perferat. Verbis igitur*  
*uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt,*  
*peccatum est. 4. Innoç. XI. damnavit has pro-*  
*pos. Sicut jacent. 26. Si quis vel solus, vel*  
*coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte,*  
*sive recreationis causâ, sive quocumque alio fine*  
*juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, in-*  
*telligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit,*  
*vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis*  
*aliud additum verum, revera non mentitur, nec*  
*est perjurus. 27. Causa justa utendi his amphibo-*  
*logiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad sa-*  
*lutem corporis, honorem, res familiares tuendas,*  
*vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veri-*  
*tatis occultatio censeatur tunc expediens, & stu-*  
*diosa.*

Resp. II. Certum est non licere uti ulla æ-  
 quivocatione etiam determinabili, neque re-  
 strictione etiam non purè mentali. I. Ex in-  
 tentione decipiendi proximum, seu ei falsam  
 opinionem ingenerandi; quia hoc per se ma-  
 lum est: nam (ut ait Layman) sicut veritas  
 est mentis perfectio, ita falsitas omnis est de-  
 honestatio, & dedecus ejusdem: alterius au-  
 tem mentem ad Dei similitudinem conditam  
 dedecorare velle intrinsecè malum est. *Verbis*  
*uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, pec-*  
*catum*



catum est, ait S. August. sup. 2. Quoties interrogans habet jus inquirendi, & sciendi veritatem, ut Superior, Judex, &c. Nam huic juri respondet in interrogato obligatio clarè, & sine ambiguitate veritatem detegendi & juxta interrogantis mentem, respondendi. *Azor dicens esse communem omnium sententiam.*

5. Quando non adest gravis, & justa causa occultandi veritatem: quia bonum, & Lex societatis humanæ exigit, ut clarè, & juxta interrogantis mentem respondeamus, quamvis non habeat jus strictum rem illam cognoscendi saltem dum non adest gravis, & justa causa eam occultandi. Quæ Lex fundatur in ipsa natura hominis, in quantum est animal sociabile. *Quia homo est animal sociale, naturaliter unus homo debet alteri id, sine quo societas humana servari non posset. Non autem possent homines ad invicem convivere, nisi sibi invicem crederent tanquam sibi invicem veritatem manifestantibus. Et ideo virtus veritatis aliquo modo attendit rationem debiti.* ait S. Thom. 2. 2. q. 109. a. 3. ad 1.

Hinc quærenti, an liceat uti æquivocatione, vel restrictione mentali dici debet id non licere, ut constat ex propos. damnata cit. non solum quia æquivocatio, & restrictio simpliciter dictæ intelliguntur ordinariè de æquivocatione non determinabili exterius, & de restrictione purè mentali; sed etiam quia interrogatio est indefinita, ideòque universalis. At juxta communem sententiam, non licet in casibus



supra dictis uti restrictione etiam non purè mentali, nec æquivocatione etiam determinabili.

Itaque potest esse solum controversia in casu, ubi adest obligatio, vel alia gravis causa, occultandi veritatem ei, qui non habet jus exigendi ejus cognitionem, nec suppetit alia via eam occultandi, & intenditur solum occultatio veritatis, non autem deceptio proximi, quæ tantum permittitur.

Multi earum usum cum tali limitatione defendunt post S. Antonin. 2. p. tit. 10. cap. 1. §. 1. & S. Raymund. lib. 1. *Sumtit. de Mendac.* Quia, inquit, per eas non affirmatur falsum, sed verum, quamvis obscurius expressum, ita ut tamen veritas ex circumstantiis extrinsecis deprehendi possit, & sic non sunt per se deceptivæ, nam verba ut conjuncta signis, vel circumstantiis humano modo cognoscibilibus, sunt significativa totius propositionis mentalis. Neque repugnant societati seu commercio humano, cum potius ad illud sint necessariæ: nam alioqui nulla erit via licite servandi vitam proximi, & secretum graviter obligans, & eludendi importunitatem hominum curiosè inquirentium de iis, quæ ad illos non spectant, nec eos scire expedit, & quæ sine gravi damno injusto revelari nequeunt. Addunt adversarios suos eandem quoad rem admittere, sed mutato nomine appellare vel fictionem, vel figuram, vel præcisionem, vel  
 usur.



usurpationem sensus mystici, præcisivi, formalis; aut ita illas definire, ut videantur intelligere solum æquivocationem non determinabilem, & restrictionem purè mentalem, vel usurpatam cum intentione decipiendi proximum.

Sed alii cujusvis æquivocationis, & restrictionis usum absolutè, & indiscriminatim damnant. Quia 1. earum usus fuit incognitus Patribus & præsertim S. August. tanquam utilis ad vitandum mendacium, aut necessarius ad occultandam in necessitate veritatem. Nam S. Doctor lib. contra Mendac. cap. 18. proponit casum hominis gravi morbo periclitantis, cujus jam vires ferre non possint, si ei mortuus unicus, & charissimus filius nuntietur, quique à te sciente verè mortuum esse quærit, an vivat. Unum tantum ex his tribus. *Mortuus est, vivit, nescio*, Respondere potes inquit S. August. nam quidquid aliud dixeris, vel si tacueris nihil aliud credet æger, quàm filium mortuum esse. Sic casum S. Doctor resolvit: ex illis tribus duo sunt falsa nempe, *Vivit, & nescio*, nec dici possunt nisi mentiendo. Unde id unum salva veritate, cui, (non obstante quolibet incommodo inde per accidens secuturo,) adherere debes, respondere potes, *Mortuus est*. 2. Quia dicunt eas esse mendacia, & per se deceptivas proximi. 3. Quia, inquit, non est necessitas iis utendi; nam **C**edere sub secreto commissa interrogaris, re-



Spondere debes interrogationem illam illicitam esse, nec tibi licere quidquam ad eam respondere. Reus verò non legitime interrogatus respondere debet se nihil habere, quod dicat. Addunt non esse absurdum, quod in certis casibus nulla restet via licita occultandi veritatem, sicut nec se defendendi contra injustum aggressorem.

*Not.* Clerus Gallicanus an 1700. hanc propos. Patriarchæ, & Prophetæ, ipse Christus, nedum viri, & Justi, & Sancti equivocationibus, sive amphibologiis, & restrictionibus mentalibus usi sunt. damnavit ut scandalosam, & impiam.



TRA